

QUÆSTIO III.

Quando idem locus videtur habere duos sensus contrarios, & incompatibiles quomodo exponendus?

SUMMARIUM.

- 163 Prima regula ex sensu recepto ab Ecclesia.
164 Secunda regula ex coherencia cum altero loco Scripture.
165 Tertia regula ex mente, & interpretatione Sanctorum.
166 Quarta regula, si expositio non potest haberi, nec ex alio loco Scripturae, nec ex Ecclesie explanatione, nec ex Sanctis Patribus, illa tenenda, qua magis fuerit conformis velle rationi.

163. Solutio ad questionem propositam, desumenda ex sequentibus regulis. Prima est; ille solus verus sensus est, qui à tota Ecclesia receptus, cujus est de vero sensu sacre Scripture judicare, ut habet concilium Tridentinum sess. 4. in Decreto, de editione librorum, ac eorum uso Ut in illo Joan. 14. n. 28. ubi Christus dicit: Pater major me est. At alius est verus sensus, quam Sancta Ecclesia Catholica Romana tenet, non in omnibus, sed solum secundum humanitatem, filium esse Patre minorem, sic & hæretici nostri temporis. Illud Marc 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Quod hæretici de sola fide intelligunt, Ecclesia Catholica in vero sensu, de fide cum operibus: nam sine illis fides est mortua.
164. Secunda regula. Ille sensus preferendus, qui magis coheret, & conformis est cum alio loco Scripture, proindeque optima est expositio Ecclesie Catholice in illo proxime citato Joannis loco cum coheret cum aliis locis ejusdem Evangelice Joan. 10. n. 30. ubi Christus ait Ego, & Pater unum sumus. Ubi æqualitas summa inter utramque personam demonstratur; sicut & inter tres Trinitatis Personas ex 1. Joan. 5. n. 7. Tres sunt, qui testimonium perhibent in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Id autem, quod dicitur de fide, exponendum est juxta alium locum Jacobi 2. num. 20. Fides sine operibus mortua est, & juxta 2. Petri 1. num. 1. Fratres magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Quem sensum tenet Sancta Mater Ecclesia Catholica.
165. Tertia regula, si unus sensus sit Sanctorum Patrum, & alter illi contrarius, & novus, nec in Sanctis Patribus inventus, Concilium Tridentinum, citato proxime loco, & etiam ipsa ratio naturalis docent illum sensum Sanctorum Patrum esse tenendum, & non aliorum, maxime Patribus repugnantem. At verò si

detur interpretatio alicujus loci diversa, quæ datur ibi à Patribus, tamen si talis interpretatio coheret cum doctrina Scripture in alio loco data, & cum doctrina Patrum alibi tradita; tunc talis expositio recipienda est. Ita Bañes 1. p. 9. art. 10. d. 6. Azor. part. 1. institutio. Moral. lib. 8. cap. 2. quest. 3. Valquez 1. parti. disp. 3. cap. 2. Becanus in tract. de fide c. 3. quest. 6. & dicitur esse de mente D. Augustini lib. 2. de Genesi ad literam, cap. 18. sit exemplum: ait Isaias c. 53. n. 8. Generationem ejus quis enarrabit? Quod communiter à Sanctis Patribus de generatione divina, à Patre Deo, vel de generatione temporali à Matre Virgine expuntur. At verò si quis exponat de generatione spirituali, qua per fidem, & baptismum, multi in Christum credituri sunt, in ipsoque regenerando, ut eam nemo dinumerare possit Apoc. 7. n. 9. quamvis hæc expositio non sit data à Sanctis Patribus ad citatum locum Isaiæ; coheret tamen tum cum doctrina Scripture, tum etiam cum ea, quæ, data est Patribus aliis in locis de multitudine credentium.

Quarta regula, quando uterque sensus nequeunt inter se consistere, & non potest cognosci, quis fuerit intentus ab Spiritu sancto, nec ex alio Scripture loco neque ex Ecclesie explanatione, neque ex Patribus hoc constat, ille preferendus, qui magis rationi naturali fuerit conformior. Quæ regula assignatur in Decreto. c. Decretales disp. 20. ubi dicitur. Quo enim quisque magis ratione nititur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse videntur.

QUÆSTIO IV.

De sensu mystico, spirituali, accommodato ac figuratis locutionibus.

SUMMARIUM.

- 167 Sensus mysticus desumitur ex rebus per voces significatis.
168 Communiter sensus spiritualis idem est, ac mysticus, & moralis.
169 Ex sensu mystico sumitur efficax argumentum ad probandas res fidei, & n. 170. 171. & 172.
173 Respondetur ad argumentum adversariorum.
174 Quilibet locus Scripture, præter sensum literalem, non habet illos tres sensus mysticos, seu allegoricos, & n. 175.
176 Quæstio, an sensus mysticus excellentior sit literali.
177 Sensus literalis nobilior.
178 Proponuntur adversariorum fundamenta, ac solvuntur, & n. 179. 180.
181 Sensus accommodatius est admittendus, ad virtutes laudandas, ac vitia vituperanda, & n. 182.
183 In hac re tria observanda, & n. 184.

Sensus

Sensus Mysticus.

167. Sensus mysticus est, qui nec proprie, nec metaphorice ex vocibus proxime desumitur, sed ex rebus per voces quasi sub umbra, & figura habetur, ut omnes ferè Patres, ac Doctores, quale fuerit peccatum Luciferi, & casus ejus de celo, declarant, & confirmant ex illo Isaias 14. n. 11. qui loquitur de superbia, & ruina Nabuchodonosor: Quomodo cecidisti de celo Lucifer; qui mane oriebaris? & Ezechiel 28. n. 14. ubi agitur de ejus gloria; & quamvis in his non agatur litteraliter de peccato, & casu primi Angeli, tamen consensus communis Doctorum sub illo rege mystice, & typice concludit representari præcipitationem Luciferi de celo: nam in toto veteri Testamento alium locum non invenimus, qui de casu Luciferi nos doceat, ac proinde iste sensus inde dicitur mysticus, ac si veluti desumatur ex vocibus, & rebus. Hæc dixi de sensu mystico rigoroso: non communiter pro eodem habentur sensus mysticus, ac moralis, & spiritualis.

Isai. 14.
Ezech. 28.

Sensus Spiritualis, seu moralis.

168. Hoc licet communiter sensus mysticus, moralis, & spiritualis pro eodem habentur, tamen jam supra explicavimus sensum mysticum præcise sumptum, nunc & explicemus sensum morale, seu spirituale, qui ita à multis definitur & est ille, quem verba sacra literis consignata, ex intentione Spiritus sancti significant, mediis rebus prius per illa in sensu literali significatis. Nam licet sensus literalis multoties sit de rebus spiritualibus; tamen in hoc distinguitur, quod literalis immediate significatur per verba, spiritualis autem mediis rebus prius per verba significatis. Sensus autem spiritualis dividitur in allegoricum tropologicum, & anagogicum, quos late explicavi q. 1. n. 129. 130. 131. & 132.

169.
Porreta.
Molina.
Salmecion.

170.
Bañes.
Gonzales.
Valquez.
Valencia.
Gilius.
Fassolius.
Machim.
Zamel.
Arubal.
Sarmantia.
Ant. à Matre.
Doi

Utrum ex sensu mystico, & spirituali sumatur efficax argumentum ad probandas res fidei contra hæreticos.

Negantem partem tenent Seraphinus à Porreta 1. p. 9. art. 10. Molina ibidem disp. 5. Salmecion. Prologom. 19. Fundantur in eo, quia D. Iren. lib. 1. cap. 1. D. Epiphani. tom. 2. hæc est 31. irrident Valentinianos, & hæreticos; quia ex sensu mystico probabant sua dogmata, similiter & alii Patres.

Opposita sententia est communis, & vera, & affirmat quod ex sensu spirituali, seu mystico optime desumitur efficax argumentum ad probandam quamlibet veritatem, sicut ex sensu literali. Ita ad 1. p. D. Thomæ. q. 1. art. 10. ibid. Bañes dubio ult. conclus. 2. Gonzales scilicet 5. Valquez disp. 16. cap. 5. Valencia punct. 5. q. 2. Ex his Gilius tract. 7. cap. 5. num. 4. Fassolius dub. 6. Machim. disp. 8. scilicet 5. conclus. 3. Zamel quest. 9. artic. 2. Arubal, disput. 8. cap. 14. Nostri Salmanticæ tract. 7. disp. 10. dub. 1. & præter hos, viginti tres Doctores pro hac sententia citat. Fr. Antonius à Matre Dei Præbud. 3. dub. 4. §. 3. n. 121.

Sylveira Opuscula.

Et missis multis, hæc unica ratione probatur. ex sensu literali optime fit argumentum, ex eo quod intentus est ab Spiritu sancto, qui nec potest falli, nec fallere; sed etiam eodem modo sensus spiritualis est intentus ab Spiritu sancto, ut dixi supra q. 11. n. 127. & 128 ergo sicut ex uno potest desumi argumentum efficax, ita ex alio.

Minor probatur multis exemplis Deuter. 25. num. 4. Præcipit Deus, Non alligabis os bovi trituranti. Et tamen Apostolus 1. Corinth. 9. rinth. 9. num. 9. & 1. ad Timoth. 5. num. 8. Inde probat ministris Evangelii stipendia deberi. Illud quod dicitur de Salomone 2. Reg. 7. n. 14. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, mystice applicat Apostolus Hebræor. 1. n. 5. ut inde probet Christum esse filium Dei, majorémque Angelis. Illud, quod dicitur de esu Agni Panchalis Exod. 12. n. 46. Os illius non confringetis, Allegorice in Christo completum esse, docet Joan. 19. n. 39. Legalium cessationem, ac Synagogam repudiatam probat Apostolus Galat. 4. n. 30. allegoria duorum filiorum Abraham: Esic ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancilla cum filio liberae. Sic & Apostolus Petrus 1. epist. cap. 3. num. 20. docet eos, qui in Arca Noë servati sunt. Genes. 6. num. 14. significare spiritualiter eos, qui in Ecclesia salvi fiunt per baptismum: quod & vos nunc similibus formis salvos fecit baptismus. Et multis aliis in locis & hunc sensum recipit, & tenet Sancta Ecclesia Catholica, dum illam virginitatem Beatissimæ Virginis Mariæ spiritualiter præsignatam fuisse in Rubo Moylis, dum canit: Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. Equalem visionem de virginitate Sanctæ Mariæ intelligunt communiter Sancti Patres, Theodoretus, Rupertus, Hugo, Carthus. ad c. 3. Exod. D. Bernard. serm. 2. super Missus est. D. Gregor. Nyss. sen. Orat. de Christi Nativitate. D. German. Archiep. oratione in Nativitate, & ante Galatin lib. 7. de Arcanis fidei, cap. 15.

Ad argumentum Adversariorum dicimus Sanctos Patres non denotare sensum mysticum & spirituale, sed depravatos sensus hæreticorum, quos confringunt ad suas iniquas falsitates comprobandas, & sic ait Sanctus Irenæus citatus contra Valentinianos. Sed quia adaptare cupiunt ea, quæ bene dicta sunt, iis quæ male ab ipsis adinventæ sunt.

An quilibet locus sacre Scripture, præter sensum literalem, habeat tres illos sensus mysticos.

Negative responderet D. August. q. 2. super Genesim, ubi ait in quibusdam locis, solus sensus literalis querendus: ergo non in omnibus; sunt enim multa loca, quæ solum habent sensum literalem, ut duo præcepta charitatis: In quibus tota lex pendet, & Prophetia, ut dicitur Matth. 22. num. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut te ipsum. Juxta id, quod dicitur Deuter. 6. n. 5. Et quamvis dicantur prædicto loco Matth. expositione dignissima, ut dixi tom. 4. in Evangel. cap. 46. quest. 16. n. 26. Omnia tamen pertinent

C 2

perthent secundum sensum litteralem ad ob-
jectum charitatis, tam quoad actum, quam
quoad ordinem, & idem dicendum est de ce-
teris preceptis Decalogi, Exod. 20. n. 2. *Non
assumes nomen Dei tui in vanum.* Et iterum :
Honora patrem tuum, & matrem tuam. Sicut &
illud Joan. 14. n. 1. *Creditis in Deum, & in me
credite.* Ita & sicut habetur apud Matth. 28.
n. 19. ait Christus. *Euntes docete omnes gentes
baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti.* Sive hoc sit per modum consilii
Matth. 19. num. 2. *Si vis perfectus esse vade, &
vende omnia quae habes, & da pauperibus.* Quae
omnia verba, non ad sensus spirituales, sed
prout sonant accipienda sunt in sensu litterali.
175. Hae doctrina, quod non semper in omni
loco Scripturae quarendus sit sensus spiritua-
lis, & allegoricus, est de mente Sanctorum Pa-
trum. Sic habet D. Augustinus lib. 17. de Ci-
uitate Dei cap. 3. & inquit. *Mihi autem, sicut
multum videntur errare, qui nullas res gestas
in eo genere litterarum, aliquid aliud, prater
id, quod eo modo gesta sunt significare arbitran-
tur, ita multum audere; qui prorsus sibi omnia
significationibus allegoricis, involuta esse conten-
dunt.* Et passim D. Hieronymus in suis dam-
nat Origenem, qui omnia dicebat allegoriis
plena & etiam eundem Origenem hac de causa
reprehendit D. Epiphanius lib. 2. haeresi 61.
epistol. ad Joan. Ierosolymit. & ait : *Non omnia
habent verba divina opus allegoria, sed prout
se habent accipienda sunt.* Ergo licet frequen-
ter in multis locis sacrae Scripturae detur sensus
mysticus, non tamen in omnibus quaerendus est, ut jam dixi ex D. Augustino.

An sensus mysticus sit excellentior litterali?

176. Theologi. Conueniunt omnes Theologi 1. p. q. 1. art. 1.
quod uterque sensus est nobilissimus ex parte
materiae, uterque enim agit de Deo, & creaturis
de Christo, & membris eius, de Ecclesiaque
militante, ac triumphante, proindeque pro no-
bilitate utriusque sunt variae rationes. Nam
unus sensus in aliquibus excedit, alius in aliis
praeminet. Tota quaestio est, quisnam absolu-
te, & simpliciter sit excellentior? Multi pug-
nant pro sensu mystico, & spirituali, quorum
fundamenta postea apponam.

177. Tamen, quod sensus litteralis sit excellen-
tior, mihi magis arridet. Ita Vasquez 1. part.
disp. 16. cap. 4. Lahay in Prolog. ad Bibliam Ma-
ximam, sect. 10. cap. 8. Probatur primò. Quia
sensus litteralis ordine generationis praecedit,
& est fundamentum sensus spiritualis, ut su-
pra dixi quast. 12. num. 155. Deinde sensus
spiritualis à litterali sumit suam bonitatem :
nam si cohaeret cum litterali admittendus, si
ab illo discrepat, ac discordat, rejiciendus est;
à fundamento enim defumitur totum esse rei.
Sic Christus Dominus dicitur Ecclesiae funda-
mentum, quia in ipso tota Ecclesia enititur, &
ab illo habet suum esse. Secundò ex universali-
tate. Quia in omnibus locis Scripturae datur
sensus litteralis, non verò sensus mysticus, ut
dixi superiori quast. n. 155. 156. Tertio. Quia in
vocibus illud est praestantius, & excellentius,
quod immediate ac proximè per ipsas voces

significatur; sed in sacra Scriptura sensus lite-
ralis immediate significatur per ipsas voces,
sensus spiritualis remotè; ergo sensus litteralis
nobilior est. Minor in qua est difficultas, Pro-
batur, quia significatio primaria vocis est
praecipua, & principalior.

Opponunt adversarii Primò. Finis nobilior
est, quàm ea, quae ordinantur ad finem atqui
sensus litteralis ordinatur ad spiritualem, ut ad
finem; ergo iste nobilior. Negatur major, nunc
sensus litteralis non ordinatur ad spiritualem,
ut ad finem, sed ad suum litteralem, ad aperien-
da altissima fidei mysteria, ac ea quae ad salu-
tem pertinet. *Esto fidelis usque ad mortem, &
dabo tibi coronam vitae.* Apoc. 2. 3.

Opponunt secundò. Patres laudantes sensum
spiritualem, litteralem dicunt corticem,
spiritualem nucleum, seu medullam, & librum
Apocalyp. 5. scriptum intus sensu spirituali,
foris sensu litterali; & sicut in naturalibus
interiora sunt nobiliora, ut cor, & anima, ita &
in spiritualibus; & ita arca foederis erat in San-
cta Sanctorum maximè recondita. 3. Reg. 8. n. 6

Respondetur, quod Sancti Patres appellat
sensem litteralem corticem, quia est primus,
& immediatus sensus verborum, in illo ta-
men non cognoscunt nudam corticem, sed
etiam supremam, & altam medullam, ut in
illis verbis Isai. 7. num. 14. *Ecce Virgo concipiet,
& pariet filium.* Luc. 1. *Concepit de Spiritu sanc-
to.* Sicut de Incarnatione Verbi divini in utero
Virginis. Joan. 1. *Verbum caro factum est.*
Et de mysterio Sanctissimae Trinitatis Mat. 28.
*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti.* In sono horum verborum aper-
tus, & clarus est sensus litteralis, tamen ibi al-
tissima medulla tantorum mysteriorum re-
condita est, quae superat omnem intellectum.
Ille autem liber Apocalypseos dicitur scriptus
intus, & foris tam per sensum litteralem, per
quem nobis valde abdita, ac intima nobis
traduntur, & etiam pertinentia ad ipsum
sensem mysticum, qui ex ipso litterali, deduci-
tur. Ad confirmationem de rebus abditis, illud
erit verum quoad res physicas, non tamen
quoad objectum cognoscitivum: nam quanto
majorem praebet sui cognitionem, tanto illu-
striori, ac meliori modo habetur, ut patet
in visione beata, in qua Deus per cognitio-
nem intuitivam meliori modo participatur,
quam cognitione obscura per fidem.

An sensus per accommodationem sit admitrendus.

Sensus accommodativus datur per quandam
extensionem, consecutionem, ac similitudinem
maximè retinendus, ac approbandus est, vel ad
virtutem exhortandam; ideo Ecclesia in matu-
tino nobis semper praeponeit gesta Sanctorum,
quia ut ait D. Ambr. lib. de Joseph cap. 1. *San-
ctorum vita ceteris norma vivendi est, ut tra-
mittem eorum virtute referatur imitantibus
vestigiis prosequamur.* Vel ad virtutem ali-
cujus laudandam ut Ecclesia pro celebran-
da virtute alicujus Sancti Confessoris uti-
tur verbis illis, quae Christus Dominus dixit
de Nathanaele. Joan. 1. num. 47. *Ecce vere
Israëlitae, in quo delus non est.* Sic & Ecclesia
Sancto

Sancto Pontifici adaptat illa verba. *Non est
inventus similis illi.* Ecclesiast. 44. num. 20.
quae dicta sunt de Abrahamo. Sic & Eccle-
sia in festivitate Sanctorum Martyrum Joan-
nis, & Pauli decantat illa verba : *Hi sunt duo
oliva, & duo candelabra lucemia an e Domi-
num.* Apoc. 11. num. 4. quae dicta sunt de
Eliã, & Henoch.
182. Vel etiam componuntur ad arguenda pec-
cata. Ut illud Isai. 1. n. 4. *Va genti peccatrici, po-
pulo gravi.* Et ad increpandos flagitiosos Prae-
latos Ezech. 34. n. 2. *Va Pastoribus qui disper-
gunt gregem meum.* Et sic in multis aliis.
183. Tamen hic tria notanda sunt. Primò quod
verba sacrae Scripturae nullo modo accommo-
dentur ad facietas, vel spurcitas, vel prophana.
Hoc sub rigidis poenis prohibet Concil.
Trid. sess. 4. in Decreto de Editione librorum,
ac eorum usu, & facit injuriam divinis verbis
ut docet D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. ad 1. ubi
Cajetanus docet peccare praedicatores, si ali-
quid ridiculum praedicationi Evangelicae ad-
miscant, & Azor. tom. 1. lib. 8. c. 2. dub. 4. ait ne-
fas esse Scripturarum sacrarum verba ad pro-
fanam, & vanam interpretationem converte-
re, & rigidè praedicatores de hac re puniendi
sunt; tum, ex hoc Decreto, tum ex Concilio
Lateranensi sess. 11. de quo multa habet Bar-
bosa de potest. Episcop. q. 13. Alleg. 76. n. 48.
184. Secundò requiritur, ut sensus accommoda-
tivus non introducat, ac astruat, ut sensus
litteralis, quod maximè reprehendit D. Hieron.
epist. ad Paulinum. Tertio, ne verba sacra in
sensu impio accommodentur, ut Michael Ser-
vetus, Lutherus, & Calvinus fecerunt, qui illud
Apoc. 12. n. 17. *Michael, & Angeli eius,*
sibi ipsi inique, ac turpiter adscribebant.

QUESTIO V.

De figuratis locutionibus, ac figuris imaginariis Prophetarum.

SUMMARIUM.

- 185. Figura definitio ex Quintiliano.
- 186. Deus loquitur nobiscum more humano, ac proinde per figuras.
- 187. Explicatur multis exemplis figuras dari in sacra Scriptura, & n. 188.
- 189. Figura in sacra Scriptura aliquando sunt per res imaginarias, aliquando per veras res.
- 190. Sensus litteralis in hujusmodi figuris est id, quod per eas significatur, & n. 191.
- 192. Quod etiam reperitur in figuris, quae fiunt per veras res.

Figurata locutio.

185. Gizeus. Quintil. Figura, quam Graeci Schema dicunt, sic defi-
nitor à Quintiliano 1. 9. c. 1. *Est conforma-
tio quadam orationis remota à communi, & pri-
mum se offerente ratione.* Ponitur Conformatio
loco generis: nam datur conformatio rei ad
rem, nominis ad nomen: Cetera ponuntur
loco differentiae, & dicitur remota à communi,
ratione, seu simplici modo loquendi, cum vir-
tute delectatur juxta materiam subjectam, &

loquentis personam ad majorem efficaciam,
ac energiam, v.g. ut Apollolus loquitur per
interrogationem. *Quis nos separabit à cha-
ritate Christi? an tribulatio, an angustia, &c.*
1. Cor. 9. 1. Corinth. 13. num. 1. ac aliis figuris, & tropis
explicandis.

Et absque dubio hujusmodi figuratae locu-
tiones, sunt in sacra pagina, ut notat D. Aug. D. August.
lib. 1. c. 12. Et ratio fundamentalis est, quia
Deus loquitur nobis hominibus per sacram
Scripturam, tanquam per instrumentum vivū
more humano, atque more humano in omni
idiomate sive Hebraico, Graeco, & Latino
hatur figurarum Ironia, Hyperbole, Synecdo-
che, Antonomasia, Anthyphrasis, est frequens
usus sine veritatis, aut decentiae praedicio,
imò eum magna utilitate, jucunditate, ac ele-
gantia juxta frequentissimum hominum usum
ergo, &c.

186. Quod facile demonstratur per singula : Ironia
est, quae contrarium ejus, quod dicitur vo-
lumus pronuntiare, ac ostendere, ut Gen. 3. n. Gen. 5.
2. 2. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,
sciens bonum & malum.* Sic & Elias ad Prophe-
tas Baal cum ironia dicebat. 3. Reg. 18. n. 27.
Illudebat illis Elias dicens : *Clamate voce ma-
jori, Deus enim est; & forsitan loquitur, aut in
diversorio, aut in itinere, aut certe dormit, ut ex-
citeur.* Secundò, Hyperbole, est dictio quadam,
fidem excedens, augendi, minuendive causa.
Sic David de Saule, & Jonatha dicebat. 2. Reg.
1. n. 23. *Aquilis velocioribus, leonibus fortioribus.*
Amos 2. n. 9. *Altitudo Amorrhæi, altitudo Ce-
dri dicitur, & Numer. 13. n. 24. Vidimus mon-
stra quadam filiorum Enac, quibus comparati,
quasi locusta videbamur.*

188. Tertio Synecdoche datur, eum totum ponitur
pro parte Marc. 16. n. 6. *Jesum quatuor Nazare-
renum, id est corpus Jesu.* Vel secundò poni-
tur pars pro toto Sap. 4. n. 1. *Per feros fluctus
iter facere incipiens, ligno portante se fragillius
lignum invocat.* Ponitur lignum pro navi. Ge-
nes. 6. n. 12. *Omnis caro corruperat viam suam.*
Quarto, Antonomasia, quae sic definitur à
Beda, *est significatio vice nominis posita: cum
ex aliquibus accidentibus significatur perso-
na, vel moribus ejus.* Psalm. 88. num. 11. *humi-
liasti sicut vulneratum, superbum.* Ubi super-
bi nomen, quod est commune pluribus, pro
Lucifero, qui in superbia eminet ponitur; sic
frequenter vir crudelis dicitur Nero, vel Do-
mitianus. Quintò Anthyphrasis, quae suis verbis
contrarium significat, & per hanc figuram di-
citur lucas, quod minimè luceat bellum; quod
nihil in eo sit bellum; benedicere, pro maledi-
dicere usurpatur, ut illud uxoris Job ad
eum 2. num. 9. *Benedic Deo & morere.* In quo
loco pro reverentia Deo debita, in modo lo-
quendi, verbum benedicere pro maledicere
sumitur.

Quisnam sit sensus litteralis in visio-
nibus imaginariis, ac rebus
figurativis.

189. P. o hujus rei intelligentia notandum,
quod res, quae aliquid significant in sacra
Scriptura, sunt in duplici differentia: quae-
dam enim sunt imaginariae, quae mentibus
C 3 Pro-